

cum Sylvestro id affirmante, et Paludan. idem probabiliter sentiente; quidquid enim licet clericis non sacrificantibus, sed assistentibus tantum, licet etiam laicis, quantum ad præsens spectat, ex his festivitibus. Nam ratio est eadem, quia illa extensio ad clericos fundatur in connexionem, quam, per se loquendo, et ex intentione Ecclesiæ, habet communicatio cum assistentia ad sacrificium, connexionem, inquam, non necessariam, sed ad melius esse, ex qua probabiliter colligebamus hanc generalem regulam, cui conceditur privilegium audiendi Missam tempore interdicti, consequenter concedi, ut possit in illa communicare ex sacrificatis participando. Ibi etiam pro hac parte expendimus verba illius capituli; propter quæ censemus hanc opinionem piam et probabilem, quamvis propter communem opinionem videatur jam introducta contraria consuetudo, a qua facile recedendum non est. Illud autem, quod attingit Soto, 4, dist. 22, quæst. 3, art. 1, post 4 conclus., magis indubitatum est, nimirum si aliqui communicent in his festivitibus ex privilegio, alios non habentes privilegium posse assistere dispensationi sacramenti; quia cum populo (inquit) concedatur tunc publice interesse sacrificio Missæ, non est cur dubitetur, quin liceat interesse sumptioni Eucharistiæ, cum non sit nisi pars sacrificii. Loquitur autem non de sumptione sacerdotis, sed alterius personæ privilegiatæ, et illam vocat partem sacrificii, et non male, lato modo loquendo de tota illa actione, quæ inter sacrificandum fit. Qua ratione sic intellecta nos usi sumus ad inferendum probabiliter, hanc participationem sacrificii assistentibus concedi. Illa tamen ratio in rigore solum probat licere communicare ex ipso sacrificio, vel assistere communioni, quæ in ipsomet sacrificio dispensatur.

30. *Octavum dubium, an liceat tunc assistere sumptioni Eucharistiæ, quæ fit ex formalis præconsecratis.* — Non licet tunc ex præconsecratis communicare. — Dubitari tamen potest octavo, an liceat assistere dispensationi hujus sacramenti, quæ extra sacrificium fit ex præconsecratis, ut cum in aliquo altari sacerdos assistit ad dispensandum hoc sacramentum, et non ad sacrificandum, quia tunc illa dispensatio non est pars sacrificii, sed pure sacramentalis; ergo non comprehenditur sub divinis officiis, quibus licet assistere in his festivitibus ex vi hujus concessionis; ergo non licebit aliis fidelibus

non privilegiatis huic dispensationi Eucharistiæ assistere. Et quidem in eo casu videtur probabilior communis sententia, scilicet non esse licitam hujusmodi communionem in his festivitibus, quia nec est divinum officium, prout ibi sumitur, nec pars sacrificii, et ita posset communis illa opinio satis commode limitari, si auctores ejus vellent; nimirum ut procedat de Eucharistiæ sacramento; per sese considerato, et ut extra sacrificium dispensari potest; non vero ut in ipso sacrificio fit, participando ex illo pro modo et conditione offerentis. Unde, si in privilegiis interdum distincte conceditur facultas audiendi Missam, et communicandi tempore interdicti, id fit, ut simpliciter communicari liceat, sive in sacrificio, sive extra illud.

31. *Potest quilibet assistere dispensationi Eucharistiæ extra Missam tempore interdicti.* — Excepto sacramento Ordinis. — De aliis vero non dubito, quin possint assistere dispensationi talis sacramenti, etiam extra sacrificium factæ; non quidem ex peculiari concessionem cap. Alma; nam ibi nulla est, ut argumentum factum probat; sed ex communi jure, vel potius ex non prohibitione juris communis, quia tempore interdicti non est prohibitum videri et adorari Corpus Christi, nisi in Missa, ut supra cum Navarr. notavimus; assistendo autem illi communioni fere nihil aliud fit. Item, quia non est prohibitum fidelibus assistere tempore interdicti administrationi illius sacramenti, quod eodem tempore licite ministratur; nam, si baptismus solemniter tunc ministretur, quilibet alias non prohibiti vel excommunicati possunt ibi assistere; imo ipsa solemnitas hoc fere secum affert. Idemque est in sacramento confirmationis; idem erit ergo in præsentis, vel in sacramento extremæ unctionis, si ex privilegio alicui detur; de matrimonio vero non est dubium; nec etiam de poenitentia, dummodo non sit periculum audiendi confessionem. Solum in sacramento Ordinis ministrando est specialis ratio exceptionis, quia inter sacrificandum ministratur. Et ideo, nisi alias liceat sacrificio assistere, non licebit assistere ordinationi in eo factæ; tamen quoties illius prius licuerit, etiam hoc posterius licitum erit. Unde, si in prædictis festivitibus Episcopus publice Ordines conferat, quibuscumque fidelibus licebit illi officio assistere, etiamsi administrationem cujusdam sacramenti conjunctam habeat.

32. Ratio generalis est, quia, quoties jura

prohibent audire divina officia, non comprehendunt sacramenta; hæc enim prohibent dare vel recipere, non vero assistere illis, aut ea videre vel audire. Hujus autem juris ratio esse potest, quia dispensatio alicujus sacramenti non est divinum officium per se commune omnibus fidelibus, id est, quod fiat nomine omnium, et cui alii quasi per se assistant, suo modo participando et communicando in tali officio; sed est peculiare ministerium, quod per se transigitur interdantem, et recipientem, ad quod aliorum præsentia est (ut sic dicam) accidentaria, et quasi concomitans; et ideo non est magis prohibita ex vi interdicti, quam assistere in Ecclesia, aut videre Eucharistiam, vel quid simile. Atque ex his satis videtur constare, quæ officia, et quibus diebus sint vel non sint prohibita ex vi generalis interdicti loci.

De prohibitione divinarum officiorum in aliis interdictis

33. *De speciali interdicto locali.* — Nono superest, ut breviter dicamus de aliis interdictis quoad hæc eadem officia divina. Et primum de interdicto speciali locali dicendum est, jure antiquo esse prohibitum et facere et audire in illo omnia divina officia, quæ superius explicata sunt, et quæ prohibentur in tota aliqua terra per interdictum generale. Hoc patet ex eisdem juribus sæpe citatis; et quia quoad hoc eadem est proportio, seu eadem efficacia interdicti singulariter lati, circa locum, in quem fertur. Hoc autem antiquum jus respectu interdicti specialis loci immutatum non est per cap. Alma, ut constat ex dictis supra de sacrificio Missæ; nam eodem modo loquitur caput illud de Missa et de aliis divinis officiis; notavitque hoc Covarruvias, dict. § 3, num. 2. Et ideo de hoc interdicto quoad hunc effectum nihil superest dicendum.

34. *De interdicto personali.* — An liceat personis non interdictis hæc officia audire, si ab interdictis dicantur, et e converso. — Idemque fere est de interdicto personali, tam generali, quam speciali, servata proportionem. Nam per interdictum hoc prohibentur omnes personæ, quæ illo ligantur, ne hæc officia facere, aut eis interesse possint, quocumque in loco, ut ex eisdem juribus constat. Neque in hoc aliqua moderatio facta est præter illam specialem cap. Alma. Ubi in illis quatuor festivitibus, interdicti

permittuntur interesse divinis cum limitatione ibi contenta, et a nobis supra declarata circa sacrificium Missæ. An vero liceat personis non interdictis audire hæc officia, si ab interdictis dicantur, et e converso an clerici non interdicti possint ea dicere, quamvis personæ interdictæ adsint, si eas excludere non valeant, dictum supra est de sacrificio Missæ, et idem est hic proportionaliter sentiendum.

SECTIO IV.

Quam grave peccatum sit in Ecclesiasticis personis violare interdictum circa divina officia, et quibus modis id fiat et puniatur.

1. *Quinam Ecclesiasticarum personarum nomine comprehendantur.* — Clerici conjugati ibi etiam comprehenduntur. — Comprehenduntur etiam religiosi et moniales. — Ut de hac re distinctius dicamus, oportet in primis distinguere duo genera personarum, quæ possunt interdictum violare, scilicet Ecclesiasticarum et laicarum. Sub laicis comprehenduntur omnes non Ecclesiastici, de quibus postea. Sub Ecclesiasticis ergo comprehenduntur in primis clerici omnes, a prima tonsura usque ad quemlibet superiorem Ordinem. Censet autem Covarruv., d. cap. Alma, part. 2, § 4, num. 3, excipiendos clericos conjugatos, etiam cum unica, et virgine, quia in cap. unico de Clericis conjug., in 6, dicitur, hoc clericos gaudere quidem privilegio canonis et fori, si tonsuram, et vestes clericales deferant, in cæteris autem non gaudere privilegio clericali, etiamsi tonsuram et habitum deferant. Et Concil. Trident., sess. 23, cap. 6, de Reform., addit, ut præter tonsuram et habitum, ad alicujus Ecclesiæ servitium vel ministerium ab Episcopo sint deputati, eidemque Ecclesiæ serviant vel ministrent. Ex hoc ergo infert hos clericos quoad observationem interdicti nullo gaudere privilegio, quia illud nec est canonis, scilicet, Si quis suadente, nec fori, ut per se constat, et est privilegium clericorum proprium, quia illo non gaudent laici; ergo illo non fruuntur hujusmodi clerici; ergo in præsentis materia perinde reputandi sunt, atque laici. Sed, licet hæc ratio probabilis sit, nihilominus ego non censeo illos esse excipiendos, si habeant conditiones omnes a Concilio Trident. requisitas; ejus rationem statim declarabo, et ex illa patebit responsio ad rationem Covarr. Sub hoc etiam membro comprehenduntur religiosi omnes, etiamsi Ordinem non habeant, imo

et moniales, ex omnium sententia, quod ex dicendis evidentiis constabit. Nunc ratio est, quia celebrare divina officia publice et in communi, vel in illis aliquo modo ministrare, ad omnes has personas pertinent quasi ex officio seu ratione status; et ideo quoad hoc munus omnes hæ personæ reputantur tanquam clerici, vel tanquam personæ Ecclesiasticæ, prout revera sunt.

2. Et ex hac ratione probatur id, quod dicebam de clericis conjugatis, in quibus concurrunt omnia a Concilio Tridentino requisita. Nam illi, si sunt deputati ab Episcopo alicui Ecclesiæ, et in illa ministrant tanquam clerici, etiam sunt ministri ex officio, et ratione status sic acceptantur ab Ecclesia; ergo quantum ad hunc finem, seu ad præsentem materiam vere se gerunt ut personæ Ecclesiasticæ; ergo in hoc numero computandi sunt, non tam propter privilegium quam propter officium, et ministerium, cum tali statu et Ordine conjunctum. Unde ut statim videbimus, hæc personarum distinctio non fit præcipue propter privilegium, sed maxime propter onus et obligationem, quæ revera cadit in hujusmodi clericos prædictas condiciones habentes. Et ideo mirum non est, quod etiam gaudeant aliqua facultate, vel licentia, quæ cum ipso onere conjuncta est, juxta dicta in 4 sect.

3. Deinde adverte, posse clericos interdum violare interdictum modo aliquo communi laicis, et tunc non se gerunt ut clerici, ideoque hic modum illum non consideramus, sed quæ de laicis infra dicemus, illis communia sunt; præterea suppono clericum non violare interdictum per actus solius jurisdictionis, quia non prohibentur. Solum ergo quod ad præsens attinet, violare illud possunt vel exercendo actus Ordinis prohibitos, vel modo prohibito per interdictum, vel ministrando in illis aliquo modo proprio Ecclesiasticarum personarum.

Prima assertio.

4. *Probatur conclusio percurrando omnes species interdicti.* — Dico ergo primo: in Ecclesiasticis personis violare quodcumque interdictum celebrando divina officia, ex genere suo est peccatum mortale. Est communis conclusio, quam (licet Cajetan., verb. *Interdictum*, dubitet) omnes Summistæ ut claram supponunt; et Soto, d. 22, quæst. 3, art. 4, concl. 5, et Navarr., c. 27, num. 187. Et probatur manifeste; nam jura directe et gra-

viter prohibent has actiones Ecclesiasticis personis ex vi interdicti; materia autem illius prohibitionis gravis est, ut per se constat; modus etiam prohibendi gravis est, scilicet et verbis rigorosum præceptum indicantibus, et interdum sub gravissimis pœnis; ergo tale præceptum obligat sub mortali. Deinde probatur inductione in singulis interdictis. Et primo de interdicto speciali personali, quod in præsentem videtur gravius obligare, est res manifesta, quia illa est censura gravissima huic personæ imposita propter culpam suam; ergo in materia sacra et gravi illam violare, est ex genere suo peccatum mortale. Item ob hanc causam, quoties jura aliquid videntur remittere de rigore interdicti, semper aliquam exceptionem faciunt earum personarum, quæ sua culpa causam dederunt interdicto, quia nimirum illæ sunt personaliter et specialiter interdictæ; sentiunt ergo hanc obligationem in talibus personis esse gravissimam.

5. In secundo ordine videntur esse illi, qui personaliter interdicti sunt generali interdicto, inter quas et alias hæc est differentia, quod non propter propriam culpam ligatæ sunt; at censura, et prohibitio, eadem est; ergo in eadem materia eandem gravem obligationem inducit. Nam quod prohibitio illa posita sit propter culpam propriam, vel alienam, non est differentia sufficiens, ut illius transgressio in uno sit peccatum mortale, et non in alio. Quia præceptum justum suam totam vim et efficaciam habet, etiamsi aliquid onerosum prohibeat vel mandet propter commune bonum, absque ulla culpa ejus, cui imponitur.

6. Tertio hinc facile fit gradus ad interdictum speciale loci, tum respectu eorum, qui causam illi dederunt; nam in illis habet vim personalis et specialis; tum etiam respectu aliorum, quia in eos habet vim quamdam generalis interdicti, non quidem absolute ligantis personas, sed quoad non celebranda divina in tali loco, vel tempore; ergo respective tam gravem obligationem inducit hoc interdictum in singulis personis respectu talis loci, sicut interdictum generale personale respectu omnium locorum. Imo ex parte videtur esse gravior propter majorem determinationem, et specialitatem prohibitionis.

7. *Quia culpa gravis est, ideo censura punitur, non e converso.* — Tandem hæc ratio cum proportionem accommodari potest ad interdictum generale loci; quia vero post cap. Alma, illius transgressio tantum consistit in

Enodantur aliqua dubia.

modo, ideo in hac parte videtur esse levior. Nihilominus tamen non dubito, quin illa etiam sit gravis materia, et sufficiens ad peccatum mortale, quia in rebus moralibus modus interdum valde necessarius est ad honestatem morum, et ad commune bonum. Nam celebrare, v. gr., cum vestibus sacris ad modum pertinet; et tamen obligatio servandi talem modum gravissima est; et multa similia diximus agentes de sacramentis; ita ergo est in præsentem. Eo vel maxime, quod ille modus, licet non sit de substantia divini officii, quod celebratur, nunc tamen est veluti de substantia hujus interdicti, quod servari præcipitur; et ideo, sicut Ecclesia quantum est ex se intendit obligare graviter ad illius interdicti observationem, ita maxime obligat clericos, et religiosos ad illum modum observandum; quoad hoc ergo semper manet illa obligatio sub mortali. Alioquin interdictum illud fere totam suam vim amisisset contra intentionem cap. Alma, in illis verbis: *Cæteris, quæ circa observationem interdictorum a nostris sunt prædecessoribus instituta, in suo robore duraturis.* Unde in Clement. 4 de Sent. excom., de quibusdam violantibus hoc interdictum prædicto modo dicitur: *Non absque damno Cathedralium et parochialium Ecclesiarum, et scandalo plurimorum dirumpendo nervum Ecclesiasticæ disciplinæ, generalia locorum interdicta præsumptione damnabili violare præsumunt.* Quæ verba manifeste indicant peccatum mortale etiam ante illam Clementinam; nam post illam evidens est, cum propter illam culpam imponat excommunicationis pœnam. Quod est signum illam culpam ante etiam fuisse gravem; non enim culpa gravis est, quia propter eam excommunicatio imponitur, sed e converso, quia ipsa gravis est, ideo censura punitur. Et simile argumentum potest sumi ex Clement. 2, eodem titulo, et ex aliis textibus statim afferendis.

8. Quamvis autem hæc assertio ita generaliter proposita certa sit, in particulari sæpe est difficile judicare, an sit mortale, necne, quod tamen discernere est necessarium, tum propter conscientias, tum etiam propter judicium ferendum de pœna Ecclesiastica. Neque agimus de excusatione peccati mortalis ob indeliberationem, seu inadvertentiam; nam hoc nihil habet hic speciale, sed applicanda est generalis doctrina; solum ergo ex parte materiæ possunt nonnulla dubitari.

9. *Primum dubium, an exercens actum minoris Ordinis contra formam interdicti, peccet mortaliter.* — Primum est, an exercere actum alicujus Ordinis minoris contra interdictum aliquo ex modis prædictis sit sufficiens ad materiam peccati mortalis. Nam Soto, dict. art. 4, explicando 5 concl., videtur hoc limitare ad actum alicujus Ordinis sacri. Sed ille non loquitur de gravitate culpæ, sed de irregularitate, de quo infra. Contrarium vero supponere videtur Sylvest., *Interdictum*, 5, quæst. 3 et 4, in princip., et quæst. 5, vers. 4 et 4, nam dicit prohibitionem Ecclesiæ esse generalem de omnibus etiam minoribus; et transgressionem ejus per talem actum, seu usum Ordinis minoris, esse sufficientem ad irregularitatem contrahendam, quæ, quando incurritur per modum pœnæ, videtur esse sufficiens indicium peccati mortalis; quia est gravissima pœna. Et quidquid sit de irregularitate mihi videtur illa gravis satis materia pro culpa mortali, cum sit actio sacra, ad quam ex officio minister est consecratus; cum ergo Ecclesia directe interdicat illud ministerium, non caret gravi culpa qui illud præceptum transgreditur. Eo vel maxime, quod hoc ministerium semper sit cum aliqua cooperatione ad sacrificium Missæ, vel aliud sacrum officium, propter quod maxime interdicatur; et ideo, per se loquendo, hæc est sufficiens materia, nisi actio esset tam parva, et ita solitaria seu præcisa ab alia cooperatione, ut moraliter quasi nihil reputaretur. Addendum etiam hic est, quod supra notavimus agendo de excommunicatione, secundum præsentem consuetudinem vix dari usum minorum Ordinum, ita proprium clericorum, ut non possit per laicos exerceri; et ideo, quantum ad praxim attinet, hæc quæstio fere jam locum non habet, nisi quatenus est communis laicis, de quibus infra dicturi sumus.

10. *Secundum dubium, an canere divinum officium in Ecclesia contra interdicti prohibitionem sit mortale.* — Secundum dubium est, an publice canere in Ecclesia divinum officium, vel aliquam partem ejus contra interdictum sit sufficiens materia peccati mortalis; ut, v. gr., quod religiosus in choro dicat completorium, aut vespas cum aliis; et ratio dubii est, quia illud etiam potest interdum facere laicus; et ideo non videtur hoc in clerico habere specialem gravitatem. Respondetur, quidquid sit de laico, de quo infra, in

clerico hoc esse peccatum mortale, quando ut clericus seu persona Ecclesiastica ad illud officium deputata, tale munus exercet; prout esse intelligitur, quando aliquis ut pars illius cleri seu communitatis Ecclesiasticæ illud officium celebrat; sicut concurrunt religiosi in choro cantantes; et clerici seculares, qui ratione beneficii, vel alio simili titulo in choro assistunt; nam ad hos omnes pertinet directe illa prohibitio celebrandi tale officium. et materia de se est gravis. Oportebit tamen, ut pars aliqua notabilis officii dicatur, qualis erit, v. gr., una hora canonica, vel magna pars ejus; nam dicere unum versum, imo etiam unum psalmum, non videtur esse mortale, secluso scandalo. Dicere autem publice orationem divini officii, præmisso *Dominus vobiscum*, gravis materia esse videtur, quia et est actus Ordinis sacri proprius, et licet quantitate, ut sic dicam, non sit magnus, tamen qualitate reputatur valde gravis.

41. *Quid de benedictione aquæ, solemnii aspersione, ac Episcopi benedictione solemniter data.* — Et per hæc, quæ in his duobus dubiis dicta sunt, potest iudicium ferri de aliis similibus; ut, v. gr., de benedictione aquæ, aut aspersione solemnii, quæ fieri solet diebus Dominicis, an per se sit sufficiens materia peccati mortalis; item de benedictione Episcopali solemniter data, et similibus. Dicendum est enim esse sufficientem materiam, per se loquendo; nam, licet actus videantur esse breves, tamen sunt actus annexi Ordinibus sacris; et sunt actus in suo ordine graves, et magnæ auctoritatis. Et ideo semper loquimur de his, ut solemniter factis; nam quod sacerdos ingrediens cum aliis Ecclesiam interdictam eos aspergat aqua benedicta, nullum peccatum est, quia neque illud est officium divinum, neque proprie est actus Ordinis; unde non est per interdictum prohibitus. Idemque est de privata benedictione Episcopi, quam domi suæ, vel per viam incedens tribuit; non enim est ex actibus sacris, qui per interdictum prohibentur.

42. *Tertium, dubium, an celebrare in Ecclesia interdicta, non servata aliqua circumstantia debita, sit mortale.* — Tertio potest dubitari circa interdictum generale loci, an prætermittere unam tantum circumstantiam ex his, quæ præcipiuntur, sit sufficiens materia peccati mortalis, ut, v. gr., an dicere Missam in Ecclesia apertis januis et servatis aliis conditionibus sit peccatum mortale. In quo Doctores communiter sentiunt hujusmodi

transgressionem sufficere ad peccatum mortale, ut colligitur ex his, quæ tradunt Covarr., dict. § 4, num. 6, vers. 44; Sylvest., *Interdictum*, 5, quæst. 5, in princ.; Tabiena, n. 2; Armilla, num. 43; qui citant Hostiensem, Joannem Andream, Calderinum, et alios. Et favet dicta Clement. 1 de Sent. excom., ubi interdictum in una sola conditione violabatur, nimirum, quia januis non omnino apertis, sed perforatis, seu fenestris in eis factis divina officia celebrantur; et nihilominus transgressio exaggeratur ut valde gravis. Ratio vero esse videtur, quia forma illius interdicti ita constituitur nunc ex illis conditionibus, ut, qualibet ablata, tota forma et quasi substantia interdicti destruat. Item, quia ad finem interdicti, qui est gravare populum, eumque a divinis excludere, quælibet ex illis circumstantiis est valde necessaria; et ideo est materia gravis illius præcepti; cuius indicium etiam est, quod in omnibus iuribus, in quibus hæc officia tempore interdicti permittuntur, semper adiciuntur expresse omnes illæ conditiones. Neque satis erit, quod prætermittitur una conditione, v. gr., quod januæ sint clausæ, alia via caveatur, ne officia a personis prohibitis audiantur; quia hic est finis præcepti, non materia; tenemur autem non solum finem, sed etiam materiam præcepti observare; imo potius materiam, quam finem. Vel (quod idem fere est) lex hæc interdicti non solum cavit, ne divina officia audirentur, sed etiam ne audiri possint quantum est ex modo quo fieri permittuntur, ut sumitur ex cap. Quod in te, de Pœnitentiis et remiss. et ideo observatio illius modi quoad omnes et singulas circumstantias gravis materia est. Atque hæc sententia verissima est, et conformis communi sensui, et existimationi Ecclesiæ, quæ in his rebus moralibus magnum pondus habet.

43. *Duo notanda pro majori declaratione resolutionis.* — *Primum.* — *Secundum.* — Solum videntur advertenda duo. Primum est, gravitatem hanc non consistere in sola circumstantia, sed in officio dicto sine tali circumstantia; nam inde fit, ut totum officium dicatur modo indebito; et quia officium est res gravissima, ideo etiam illa transgressio gravis est. At vero si fieret contra circumstantiam absque officio subsecuto, illa per se non esset materia gravis hujus transgressionis; ut, v. gr., si pulsarentur campanæ ad Missam, et aperiretur janua et convocaretur populus, si postea Missa non diceretur, per se

et ex vi interdicti, non esset illa gravis transgressio exterior, quandoquidem in principali materia et per se prohibita non violatur. Dico autem, *exterior*, nam, si id fieret animo faciendi sacrum, interius quidem jam peccatum esset grave; mutata vero intentione externum peccatum non esset consummatum. Unde si a principio fieret absque tali intentione, solum ad aliquam ostentationem, vel alios fines, per se loquendo, non esset transgressio mortalis contra interdictum; ratione autem scandali, moraliter loquendo, semper erit peccatum mortale. Hinc etiam secundo advertimus, necessarium esse ad hanc gravitatem culpæ, ut totum aliquod officium, vel magna pars ejus sine tali circumstantia fiat; nam, si, v. gr., solum dum fit offertorium, vel in ultima parte Missæ post consumptum sacramentum sit aperta janua Ecclesiæ, non opinor illam esse materiam peccati mortalis. Imo, si id casu contingat, et non omnino voluntarie, nullum erit peccatum; ut, verbi gratia, si aliquis ingrediens Ecclesiam tempore interdicti januam apertam relinquat, non tenetur sacerdos, qui Missam dicit, statim sistere, donec janua claudatur; et licet interim, dum clauditur, Epistolam aut Evangelium dicat, nihil peccabit, quia per illum non stat, et alioquin non decet tam facile interrumpere sacrum ministerium; satis ergo est, ut caveat, ne nimia sit dilatio, et si oportuerit, ut signo aliquo id admoneat, loci et temporis opportunitatem aut decentiam servando.

Secunda assertio.

44. Dico secundo: clerici, qui violant interdictum exercendo actum proprium sui Ordinis, eo modo, quo a laicis exerceri non potest, irregulares fiunt, et alias censuras et inhabilitates in jure expressas incurrunt. Hoc est quasi axioma in hac materia, ut notarunt Glossa et Doctores, in cap. Episcoporum, de Privil., in 6, et in c. Is cui, de Sent. excom., in 6; Abbas, cum aliis, in cap. Postulastis, num. 5, de Clerico excom. ministr.; Covarr. supra, § 2, num. 2; Navarrus, c. 27, n. 187; Soto, d. 22, quæst. 3, art. 4, concl. 5; Richardus, in 4, d. 13, art. 4, quæst. 4. Colligitur ex c. Is qui, § Is vero, de Sent. excom., in 6, ubi sermo est de illo, qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, quod etiam de generali omnes intelligunt; nam ita loquuntur jura de quolibet loco prohibito per interdictum generale; a fortiori autem comprehendi-

tur interdictum speciale loci, ut ex vi etiam verborum constat. Et eadem ratione comprehenditur ibi omne interdictum sive ab homine, sive a jure latum sit, quia lex generalis est. Quamvis nunc propter Extravag. *Ad evitanda*, necessarium sit ad incurrendam hanc irregularitatem, ut locus nominatim declaratus seu denunciatus sit interdictus. Ex illa autem particula, *is qui*, aperte constat pœnam esse generalem, et comprehendere omnem clericum sive regularem sive sæcularem; præsertim cum addatur exceptio, nisi jure vel privilegio super hoc aliud concessum sit; comprehendit ergo omnem personam, quæ hujusmodi concessionem non habet. In interdicto autem ab homine sufficit, ut validum sit, licet fortasse sit inutile seu inique latum, juxta generalem doctrinam datam de censuris in communi.

45. *Violans interdictum ex ignorantia etiam culpabili, vitat pœnam hanc.* — Propter particulam autem, *scienter*, excusabitur in primis ab hac irregularitate, qui ex ignorantia probabili hoc facit. Deinde probabiliter opinor excusari omnem illum, qui directe bona fide id facit, etiamsi fortasse negligens sit etiam ex gravi culpa, dummodo ignorantia affectata non sit, quia alias illa particula, *scienter*, nihil operatur, quia ignorantia invincibilis per se habet excusare, ut sæpius in superioribus diximus. Rursus, quamvis verbum *celebrat*, absolute prolatum, videatur de sacrificio Missæ quasi per antonomasiam dici, nihilominus proprie et in rigore comprehendit cujuscumque divini officii celebrationem. Et ita sumitur in præsentem textum juxta omnium expositionem, consentaneam proprietati verborum, et aliis iuribus, quæ statim referemus. Additur præterea in illo textu solum Pontificem summum posse in hac irregularitate dispensare; quod intelligendum est nunc juxta limitationem de irregularibus occultis Episcopo commissis per Concil. Trident., sess. 24, c. 6 de Reform.

46. *Privantur etiam dicti clerici electione passiva et activa Ecclesiastica.* — Videantur supra notata in materia de suspensione, circa hoc caput et superiora. — Quæ culpa requiratur ad eam irregularitatem incurrendam. — Denique additur in eodem textu alia pœna his verbis: *Et adeo efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debeat admitti.* Per quæ verba irregularitati adjungitur quædam suspensio, nam ex vi irregularitatis fit quidem aliquis inhabilis ut eligatur, argu-